

3165

LITURGICI

3166

adtulerit, in Decessorum Adversariis non reperio, nisi Bibliothecam *Fuggerianam Ferdinandi III.* jussu emtam ab eo, et *Augusta Vindel.* huc advectam excipias, qua de re *Lambecii T. I. p. 67.* edit. *Kollar. col. 139.* adiri poterit.

DCCCCXXVII.

- 857 Codex membraneus lat. Sec. XVII. Folior. 41. 12. titulis deauratis eleganter scriptus, Precatorius est continens: *Officium SS. Nominis Jesu cum adjunctis Orationibus, Officium S. Crucis* itidem cum Orationibus.

DCCCCXXVIII.

- 866 Codex membraneus lat. Sec. XVII. Folior. 105. 12. literis characteres *Aldinos* seu *Curivos Italicos* egregie imitantibus, ut impressas credas, exaratus, auroque fulgidus inscribitur: *Viridarium Animæ ex Variis Authoribus Collectum. Anno Domini 1.6.7.4. die 7. Nouembris. Opera Stephani Zaręba, quem Polonum fuisse* autumo. Insunt porro praecipue: *Meditationes ex Augustino, Anselmoque lectae, Officium Immaculatae Conceptionis B. V. M. Precationes dictae Augustini ad Eandem, Officium de VII. Ejus Doloribus, Exercitia pro Sacramento Poenitentiae et Eucharistiae, Officiumque Defunctorum.* In usum *Principis* haec conscripta fuisse, et *Austriaci* quidem, fidem faciunt a *fol. 55.* Orationes *Regis*

aut *Principis, qui Populum regit et gubernat, item quibus foll. 30. p. 2. et 57. p. 2. S. Leopoldus Austriae Marchio colitur. At vero foll. 29. et 49. Princeps hic ipso nomine proditur: Ego Leopoldus. Itaque Εγγεργιδιον istud curatum est anno imperii ejus sexto decimo. Quo anno quid Vir piissimus de Fastigio, in quo eum Deus collocarat, senserit, e Formula, quam adscribo, disce: *Omnipotens æterne Deus! agnosce et vide, quam timendis periculis pro officii mei conditione undique sim implicitus. Scio non esse mihi Dominum, sed seruitutem et officium. Scio, non bruta meæ fidei commissa, sed filios selectissimos, illoque Tibi charitatis vinculo conjunctos, ut pro ipsis te morti tradere non dubitaris. Quis ego sum, mi Deus! qui tanto officio satis faciam? Homo sum imperfectus et æger, falli et errare mihi facile. Populus tuus plurimus est, et in omni loco præsto esse qui possum? Quapropter, o Domine! Te supplex precor, da mihi sedium Tuarum assidricem Sapientiam, mitte illam de Coelis sanctis Tuis, et a sede magnitudinis Tuæ, ut mecum sit et mecum laboret, et intelligam et sciam, quid acceptum sit apud Te, ne quid faciam vel in gratiam alicujus, vel in odium, sed secundum veritatem et justitiam sententiam feram. Amen.**

DCCCCXXIX.

- Codex membraneus lat. Sec. 867 XVII. Folior. 41. 12. nitidissime

T t 2

exa-

3167

C O D I C E S

3168

exaratus, paginarum oris minio decoratis, et auratis Titulis conspicuus, dicatus est *Leopoldo Guilielmo Archiduci Aust. postulato Episcopo Argentinensi, Halberstadiensi et Passauensi, Abbatiarum Principalium Hersfeldensis, Murbacensis et Luderensis Administratori a Nicolao Goleffénj Cancellaria Hungaricae Scriba, die 22. Mensis Julij. Anno 1637. Etsi, ut in Praef. ait, sciret, exquisitis et elaboratis Typi libris, nec non aurea precum supellestiale Principis refertam esse bibliothecam. Continentur vero in hoc Codice Preces Matutinae cum variis aliis, item Vespertinae cum Exer-*

citio ad sacram Communionem, et Litanis, quas Lauretanas vocant.

DCCCCXXX.

Codex chartaceus lat. germ. ⁵⁰⁵ Sec. XV. Follor. 112. 4. bene scriptus, rubricisque distinctus, *Liber Precum* est continens *Orationes ad Deum Divosque, Psalmos, Hymnos, Sequentias, Litanias, Confitendi Formulam* et in fine *Calendarium. Hymnis* multis adpositae sunt *Notae Musicae. Hymnus A Solis ortus cardine &c.* etiam, ut varia alia, germanice legitur *fol. 62. in hunc modum:*

*Uon anegang der sunne kchlar
bis an ein end der welde gar
wir loben den fürsten Ihesum crist
der von der maid geporen ist.
Ein merer aller welde prait
der legt an sich der knechte kchlaid
er nam an sich menschleiche wat (vestis)
das nicht verdurb sein hant getat &c.*

Librum hunc in usu fuisse cum tot aliis jam indicatis *Friderico III. Imp.* liquet primum e duabus *Collektis fol. 12.* ubi legas: *auxiliare queso famulo tuo michi friderico populoque mihi subjeſto, et: Da seruo tuo michi Friderico trium-*

phum virtutis tue scienter excolere &c. dein e *Calendario*, quod ante se habet duplicem *ἐπιτομὴν μνημονικὴν* festos *Sanctorum dies mensium ordine complexam*, primam quidem germanicam hujus initii:

*Besniten ist das kind,
drey kunig sagten Erbarts gesind,
Der steren weist sy, wann
kümbt marcellus Anthony Prisca sag fabyan &c.*

Alteram notam illam latinam: *Cisio ianus Ep. val. er. bart. &c. Ip-*

sum porro sequentibus notis insignitum est: *Ad kalend. Junias: In vigi-*